

Andreas Tscherning

**Rector Universitatis Rostochiensis Andreas Tscherningius, Prof. Poët. & p.t.  
Collegii Philosophici Decanus Ad Exequias, Quas Filiolo suo scitissimo, Joannis-  
Georgio Hagemeistero, Maestissimi Parentes paratas cupiunt Omnes omnium  
ordinum cives Academicos ... invitat**

Rostochii: Kilius, 1649

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777520710>


Druck Freier  Zugang



Tscherning, A.,  
in J. G. Hagemeister.

R. 1649.

89







RECTOR  
Universitatis Rostochiensis  
ANDREAS TSCHERNINGIUS,

Prof. Poët. & p. t. Collegii Phi-  
losophici Decanus

*Ad Exequias,*

Quas

Filiolo suo scitissimo,

JOANNI-GEORGIO

HAGEMEISTERO,

Mætissimi Parentes

paratas cupiunt.

*Omnes omnium ordinum cives Academicos  
officiosè & amanter invitas.*



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILI, Acad. Typographi

ANNO M. DC. XLIX.



Mnes omninò ho-  
mines unam noctem ma-  
nere, & statuerunt omni-  
um temporum Pii ac sa-  
pientes viri, & quivis  
dies clarissimis documen-  
tis huic rei fidem facit.  
Neque verò homini tan-  
tùm inevitabilis ista lex est posita, sed etiam va-  
stum hoc Universi corpus, atque adeò totam  
Naturam mortalitati subjectam esse paulò at-  
tentius consideranti patet. Si quis prima illa cor-  
pora, ex quibus singula in mundo constant, in-  
tuetur, ea ipsa dum ex mutatione illorum nunc  
hoc perit, nunc aliud generatur, perpetuâ vice  
aut nasci aut mori deprehendet. Ipse Sol, qui  
principatum astrorum obtinet, promus condus-  
que diei, dum quotidie à nobis discedit, & sub  
horizontem nostrum se subducit, nonne inte-  
ritum, quem decretorius ille dies semel afferet,  
semper minatur? quem cætera quoque sidera  
imitantur, quæ renascente luce mori quodam-  
modo

modo videntur. Non adducam omnis generis  
animantia, quæ omnia magnam illam mortem  
exercere videntur, neque è superiorum ætatum  
historiis vel Carthaginem aliquam, vel Hieroso-  
lymas, vel ambarum victricis Romæ cadaver,  
aut quicquid hujus apud veteres sive bellis, sive  
hiatibus, sive pace noxia & rebus secundis exitio-  
sâ luxurie perditum fuit, proponere decrevi, ex  
quibus satis deprehendimus profectò, nihil in  
hac rerum universitate reperiri, quod non cadu-  
citati obnoxium sit, eundemq; interitum experiatur,  
qui homines & urbes integras solo æquat, ac cum  
ipso sæpe nomine etiam memoriæ mortalium  
eximit. Earum mihi urbium casus ac vices con-  
templamini, quibus vel per hæc nostræ tempe-  
statis bella post homines natos acerrima aut Rei-  
publicæ facies mutata est, aut imminuta libertas,  
vel quæ ipsæ pessundatæ omnino, abolitæ ac  
everstæ sunt. Ut cæteras hoc loco non tangam,  
quis non miretur illam Saxonum antea floren-  
tissimam ad Albim coloniam, tantis spatiis por-  
rectam, tanto fortitudinis nomine elatam ac di-  
vitiarum, nullum hujusmodi casum tantopere  
expectantem, die non integro, strage civium ac  
præsidiî maximâ, afflictam adeò miserè feralis  
vastatione cladis atque prostratam esse? Aut si  
urbes nondum satisfaciunt, quantum regiones



integræ, integræ provinciæ mutare soleant, eadem hæc tempestas nostræ argumento erit non obscuro. Qui ergo sit quod nos homunculi, cum illum rerum omnium interitum, tot gentes intermortuas, tot urbium & oppidorum cadavera passim per terrarum orbem projecta videamus, unius è nostrum numero abitum tam ægrè feramus? Ab hac communi moriendi conditione neminem aut ætas, aut virtus sua, aut formæ venustas, neminem etiam potentia & honores eximere possunt. Hic ego aut multum fallor, MOSTISSIME PARENS, aut plurimum de mærore tuo decessurum arbitror, si æqualem hanc rerum omnium ad interitum festinantium sortem attentè iustraveris simulque persuaseris Tibi eadem fati necessitate Beatissimo FILIOLO tuo JOANNI GEORGIO mortem fuisse oppetendam, quâ universum hoc naturæ corpus teneri demonstravimus. Natus is d. XXVIII. Aprilis An. cl. lcc XLVII. & post per lavacrum *πελιγαγίας* ut palmes viti, sine mora CHRISTO insert<sup>9</sup> fuit, Te GEORGIO HAGEMEISTERO Cive hujus Reipublicæ spectatissimo, PATRE; MATRE VRSULA Korffes / feminarum lectissimâ. Avo paterno viro gravissimo prudentissimoq; Dn. GEORGIO HAGEMEISTERO, Senatore ac cive apud Rostochienses, dum mortalium caribus intererat,

tererat, primario: aviâ paternâ MARGARETA  
Beselins / Matronâ pientissimâ: avo materno  
DN. CHRISTIANO Korff Cive quondam  
Rostochiense laudatissimo; aviâ verò maternâ  
ELISABETA Lohrmanns / matronâ ornatissi-  
mâ: proavo paterno DN. GEORGIO HAGE-  
MEISTERO Camerae Ducalis quondam Secre-  
tario & Ecclesiarum Gustroviensium Oecono-  
mo fideli ac industrio; proaviâ paternâ REGI-  
NA Krügers: Proavo materno viro Consultissi-  
mo DN. M. JOANNE CORFINIO Consule  
quondâ Reipub. Rostochiensis primario ac me-  
ritissimo; proaviâ verò maternâ ANNA Krowels /  
matronâ summè piâ & honorata. His parentibus  
probitate, virtute, genere præstârissimis JOHAN-  
NES GEORGIUS tu<sup>o</sup> prognat<sup>o</sup> fuit. At in quies,  
citò nimis & immaturâ morte denatus est. Verû  
quidem est. Cùm enim d. XIX Septembr. vario-  
lorum æstusq; febrilis subitaneo impetu corri-  
peretur, noctis subsequents horâ V. matutinâ  
extinctus est, cum vixisset annos vitæ II, & XX  
hebdomas. Sed DEUS qui supra nos negoti-  
um curat, quicquid est ævi hujus tanquam mu-  
nus suum pro arbitrio disponit, Et nos vicissim  
ita paratos esse oportet, ut ea, quæ in certum di-  
em data sunt, repetenti Creatori nostro sine que-  
rela restituamus. Quod si paullò penitius hæc  
A 3 ipsa

ipsa intueamur, nihil profectò est, quod de cujus-  
quam immaturo funere queramur, cum nemo  
ante diem decessisse dici potest, qui diutius quam  
vixit, non fuerit victurus. *Vidisti fabulas haud du-  
biè aditari saepe* (sunt verba magni illius Lipsij) *at-  
que etiam à juvenute in scholis. Prodeunt reges. satra-  
pe, alia officia, & quidam satellites ac persona in speci-  
em & muta. Ecce alij diutius ex ijs herent in scena &  
loquuntur: alij ostendunt se tantum, & nec vocem  
dant: simile nobis est vario munere aut dignitate in  
theatrum hoc Universi mittimur: alij silentio transimus  
aut ostendimus tantum. Nihilo tamen deterior ille,  
qui in vili veste, qui non diu haesit, quam ille qui regem  
aut longum carmen egit. Apud DEUM vita longa  
non optima, sed innocentissima. Longè integrior de-  
cessit FILIOLUS tuus, cum nondum conversa-  
tionis humanæ vitij simbutus erat. Puta, mi HA-  
GEMEISTERE, illum ipsum ex arce caelesti  
te ita alloqui: Cur te carissime Pater tantopere  
obitus meus afficit? cum mortalem me & eâ qui-  
dem lege natum fuisse scias, ut imminente die  
meo rursus ab hac vita abirem; cujusmodi ne-  
cessitati universa quoque subjecta vides. Neque  
existimes velim, me immaturâ morte à Te divul-  
sum esse, cum ego, quantum à Deo vitæ mihi in-  
dultum fuerat, vixerim; qui cujusque dies pro  
arbitrio suo temperare gaudet. Et quid est diu  
vive-*

vivere, quam diu torqueri. Cogita aduersa casu-  
um, & in primis cruenti belli quod vos omnes in-  
voluit, atrocitatem: quæ ego cuncta meâ morte  
declinavi. Nulla hic arma furunt mutuis concu-  
sibus: nullus hîc morbus aut infirmitas ægroto  
corpori incumbunt: non fallacia, non fraudes,  
doli, invidia hic locum habent. Deus est omnia  
in omnibus, qui nobis ejusmodi gaudia præ-  
stat, quæ nec oculus vidit, nec in ullius cor ho-  
minis unquam descenderunt. Sic itaque Te gere,  
ut non tam obitum desideratissimi Filioli, quam  
felicitatem ipsius, cui nunc transcriptus est, ægrè  
ferre videaris. Ille securus spectat publicas clades  
& imperiorum ruinas, quarum nos infelix ætas  
jam pars maxima sumus. Non verò id à Te exi-  
gam, ut Filioli tui funus siccis plane oculis seque-  
ris, sed nec Solonem Atheniensem, qui sapiens  
fuit unus ex septem, & legis scriptor solus ex sep-  
tem, in hoc domestico luctu imiteris. Is postea-  
quam ex nuncio. à Thalete subornato mortem  
filij sui acceperat ita consternatus fuisse dicitur,  
ut animo repente totus conciderit, humi pro-  
stratus jacuerit, capillos & barbam utrâque ma-  
nu vellicarit, injectu pulveris ora fædarit, palli-  
um disciderit, planctuque & ejulatu muliebri,  
cum summa spectantium admiratione & indig-  
natione, universum forum compleverit. Luges  
non


non sine causâ: cave tamen lugeas sine modo.  
Atq; hæc proponere volui, non quod ea te planè  
fugere existimem; cujus animum ad omnes rerū  
humanarum vices fortiter excipiendas jam præ-  
paratum novi, sed quod luctus & mæroris ma-  
gnitudine quasi obruto non ita omnia occurrere  
putem, quæ ad mitigandam ejusmodi ægritudi-  
nem facere possunt.

Vos verò, CIVES ACADEMICI, fre-  
quentes venite exsequias, atque ita ultimum hu-  
manitatis officium piè defuncto libenter præsta-  
te, Deoque opt. max. utramque Rempub. & lite-  
rariam & politicam, pijs precibus commendate.  
Rostochl P. P. sub sigillo Rectoratus d. XXIII.  
Septembr. An. clō Isc XLIX.

*Conventus fiet in Aede B. Jacobi sacra mediâ  
primâ pomeridiana.*













vivere, quam diu torqueri. Co  
um, & in primis cruenti belli qu  
voluit, atrocitatem: quæ ego c  
declinavi. Nulla hic arma furun  
sibus: nullus hic morbus aut i  
corpori incumbunt: non fallaci  
doli, invidia hic locum habent.  
in omnibus, qui nobis ejusm  
stat, quæ nec oculus vidit, nec  
minis unquam descenderunt. Si  
ut non tam obitum desideratiff  
felicitatem ipsius, cui nunc tran  
ferre videaris. Ille securus specta  
& imperiorum ruinas, quarum  
jam pars maxima sumus. Non  
gam, ut Filiohi tui funus siccis p  
ris, sed nec Solonem Athenien  
fuit unus ex septem, & legis scri  
tem, in hoc domestico luctu in  
quam ex nuncio. à Thalete su  
filij sui acceperat ita consterna  
ut animo repente totus concu  
stratus jacuerit, capillos & bar  
nu vellicarit, injectu pulveris  
um disciderit, planctuque &  
cum summa spectantium adm  
natione, universum forum co

sa casu  
ines in  
morte  
oncur  
ægroto  
raudes,  
omnia  
ia præ  
cor ho  
te gere,  
, quam  
st, ægrè  
clades  
lix atas  
Te exi  
s sequa  
sapiens  
ex sep  
postea  
mortem  
dicitur,  
ni pro  
que ma  
t, palli  
aliebri,  
indig  
Luges  
non

